

**Jura usufructuarii** determinat C. C. aa. 582-599. Praecipua sunt :

1° Usufructuarius jus habet in omnes fructus, tum naturales, tum industriales et civiles, quos producere potest res cujus usumfructum habet. (a. 582)

2° Fructus qui in arboribus pendent vel solo adhaerent quando incipit ususfructus, ad usufructuarium pertinent : qui vero in eadem conditione versantur quando ususfructus cessat, fiunt proprietarii. (a. 585)

3° Fructus civiles, qualia sunt pretia locationis praedii vel domus, per dies singulos acquiri censentur et ad usufructuarium spectant pro ratione temporis quo ususfructus duravit. (a. 586)

4° Si ususfructus complectitur res quae usu consumuntur, ex. gr. pecuniam, frumentum, liquorem, tenetur usufructuarius ad res ejusdem valoris vel earum pretium, cum cessabit ususfructus, restituendum. Res vero quae paulatim usu vilescunt, ut linteamina, non tenetur reddere nisi in eo statu in quem, per usum legitimum, deciderunt. (aa. 587, 589)

5° Usufructuarius potest jus suum locare, vendere vel titulo gratuito donare. (a. 595)

**Obligationes usufructuarii** praecipuae sunt (C. C. aa. 600-616) :

1° Usufructuarius tamquam bonus paterfamilias frui debet. (a. 601)

2° Tenetur tantum ad eas reparationes quae semper requiruntur ne res pessumdentur (réparations d'entretien) ; quae vero majoris sunt momenti (grosses réparations) a domino solvendae sunt. (a. 650)

3° Usufructuario incumbunt etiam onera annua fundi quo fruitur, qualia sunt tributa et cetera quae, ex consuetudine, censentur onera fructuum. (a. 608)

Cessat vero ususfructus variis modis quos C. C. enumerat a. 617. ex. gr. morte usufructuarii, lapsu temporis pro quo concessus est, interitu totali rei cui adhaeret, etc. Propter abusum, non cessat nisi post sententiam judicis. (a. 618)

Eadem ratione oriuntur et cessant jura *usus* et *habitationis*. Horum amplitudo determinatur per titulum quo stabilita sunt. Neque locari neque alienari possunt nisi in titulo id fuerit concessum. Qui usum fundi habet, nequit ex ejus fructibus sibi vindicare nisi quod ipsius ejusque familiae necessitatibus sufficiat ; similiter ei qui jus habitationis accepit licet tantum occupare quod necessarium est suae ac familiae suae habitationi. Uterque frui debet tamquam bonus paterfamilias. (aa. 625-636)

#### § 5. DE SERVITUTE.

**496. DEFINITIO.** Servitus in Jure nostro (C. C. a. 637) definitur : Onus impositum uni fundo pro usu et utilitate fundi ad alium dominum

spectantis. Haec dicitur servitus *passive sumpta*. Hinc oritur servitus *active sumpta* seu jus quod dominus, ratione fundi sui, habet ad hanc utilitatem ex alieno fundo obtinendam. Nomine autem fundi hic intelligitur quaecumque res corporalis, natura sua immobilis.

#### DIVISIO.

1° Ratione originis, servitus potest esse *naturalis, legalis* vel *conventionalis*. (a. 639)

Naturales sunt servitutes quae ex ipsa locorum dispositione oriuntur. Ex. gr. fundi situ inferiores debent excipere aquas quae sponte a superioribus defluunt. (a. 640)

Legales sunt eae quas lex propter utilitatem publicam vel privatam imponit. (a. 649) Harum objectum sunt viae quae relinquendae sunt in ripa rivorum quibus naves vehi possunt (chemin de halage), muri vel fossae intermediae et similia.

Conventionales sunt eae quae, e libero consensu dominorum, uni fundo in alterius favorem imponuntur. (a. 686)

2° Ratione modi quo exercentur, distinguuntur :

a) *Continuae* et *non continuae*. Continuae eae sunt quarum usus est vel esse potest continuus, nullo hominis actu interveniente, ex. gr. aquaeductus, cloaca, prospectus, etc. Non continuae sunt eae quae, ut exercentur, actuali hominis interventu indigent, qualia sunt jura transiendi, hauriendi aquam, etc. (a. 688)

b) *Apparentes* et *non apparentes*. Apparentes sunt eae quae operibus exterioribus, ex. gr. fenestra, aquaeductu, manifestae fiunt. Non apparentes, quae nullo exteriori signo manifestantur, ex. gr. prohibitio aedificandi in aliquo fundo vel supra altitudinem determinatam. (a. 689)

3° Ratione rei immobilis in cujus favorem statutae sunt, servitutes distinguuntur in *urbanas*, seu in favorem aedificiorum stabilitas etiam ruri, et *rurales*, seu in favorem praediorum (fonds de terre) stabilitas. (a. 687) Haec tamen distinctio minoris momenti est in Jure nostro.

**497. DISPOSITIONES JURIS.** De *acquirendis* servitutibus quae non sint legales vel naturales agit C. C. aa. 690-696. His statuitur servitutes continuas simul et apparentes, easque solas, acquiri posse per possessionem 30 annorum absque titulo, ex. gr. servitute aquaeductus qui per fundum alienum decurrat ; servitutes vero continuas non apparentes vel servitutes discontinuas acquiri solo titulo legitimo, puta donatione, venditione, testamento.

Ut autem definiantur *mutua jura et obligationes* illius qui servitute gaudet et illius qui eam patitur, imprimis attendendum ad generale principium juris naturalis : priorem non posse extendere jus suum cum

detrimento posterioris; posteriorem vero non posse impedire quominus prior plene jus suum exerceat. Deinde servanda sunt, etiam in conscientia, quae de variis servitutibus lege civili definiuntur: haec enim cum aequitate consentiunt et aptissima sunt ad jurgia praecavenda. Praecipua sunt:

1° In servitute naturali proprietarius fundi inferioris nequit aedificare aggerem quo aquae prohibeantur quominus a fundo superiore per suum defluant; proprietarius autem fundi superioris nihil facere potest quod inferioris onus aggravet. (a. 640) Similiter in servitute conventionali, proprietarius fundi qui patitur servitute, nihil facere potest quod eam minuat vel ejus usum difficiliorem reddat, ex. gr. transferre aquaeductum in aliam agri partem; qui autem servitute activa gaudet, nihil in fundo serviente, vel in proprio fundo mutare potest quod prioris conditionem aggravet. (a. 701 seqq.)

2° Qui activa servitute gaudet, jus habet ad facienda, suis tamen expensis, omnia opera necessaria ad usum vel conservationem juris sui. (a. 697 seqq.)

3° Si dividitur fundus pro quo statuta est servitus, haec pro singulis illius partibus debetur, ita tamen ut fundi servientis condicio non aggravetur. Ex. gr. si de jure transeundi agitur, omnes co-proprietarii illud per eandem viam exercere debent. (a. 700)

*Exstinguuntur* servitutes conventionales defectu usus per 30 annos, unione fundi servientis et fundi cui servitur in dominio ejusdem proprietarii, aliisque modis quos explicat C. C. aa. 703-710.

## SECTIO II. — DE LAESIONE JURIS ALIENI.

### CAPUT I.

#### DE INJURIA IN GENERE.

498 Injuria in genere est violatio juris alieni. Intellegitur hic unice jus strictum, eo sensu qui explicatus est n. 461, et complectitur tum bona corporis et animae, tum bona famae et honoris, tum bona fortunae. Hinc patet discrimen *injuriae presse dictae*, et *offensae* per quam laeditur quidem rationabilis alterius voluntas vel beneplacitum, nullum vero jus strictum, ex. gr. si urbane petenti viam indicare nolis. (Ball. P. n. 1) Distinguitur praesertim injuria:

1° *Realis et personalis*, prout directe violatur jus vel in bona externa vel in ea quae corpori et animae intrinseca sunt.

2° *Mera et damnosa*, prout fit sine vel cum damno illius ad quem jus pertinet. Exemplum prioris est adulterium occultum, nulla prole suscepta; posterioris, adulterium publicum vel quo proles inter legitimos liberos immittitur.

Divisiones injuriae materialis et formalis, directae et indirectae, gravis et levis, eo sensu sumuntur quo similes divisiones in tr. de Actibus humanis et de Peccatis occurrerunt.

499. Ut habeatur injustum per se et formaliter, necesse est ut is ad quem jus laesum pertinet, sit, *saltem interpretative, invitus*. (S. Th. 2. 2. q. 59. a. 3) Hinc regula 27<sup>a</sup> Juris in 6°: "Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus." Ne tamen haec regula perperam applicetur, notandum est non quamvis cognitionem, neque quemvis consensum sufficere ut injuria amoveatur. Nempe:

1° Scientia debet esse immunis ab omni errore qui, si agnosceretur, per se a consensu dando deterreret. Sic injuste retineretur pecunia quam quis obtinisset ab alio cui falso persuasisset magni momenti officium ei a se praestitum esse.

2° Consensus debet esse: a) *Liber*, ita ut a consentiente per nullam injuriam extorqueatur, quemadmodum a latrone pecunia viatori, metu mortis, extorquetur. Similiter libertate debita caret consensus illius qui, urgente necessitate, consentit in rem sibi injuriosam et quam, seclusa hac necessitate, minime admitteret. Ex. gr. operarii, qui, necessitate coacti vel mali peioris metu permoti, salarium minus accipiunt quam quod jure naturae deberetur. "Istud quidem est subire vim cui justitia reclamat." (Leo XIII. Const. *Rerum novarum*) — b) *Validus*. Nam plura jura, ita disponente lege naturali vel positiva, alienari nequeunt. Ita maritus alteri cedere nequit jus quod in uxoris corpus habet. Cfr. dicta n. 392. Neque privilegia, quae principaliter in favorem alicujus status conceduntur, alienari possunt a singulis hominibus qui in eodem versantur, ex. gr. privilegium canonis a clericis, exemptionis a Regularibus. Multo minus valeret consensus in alienationem eorum quae non versentur sub potestate consentientis. Ita injuriam minime tolleretur consensus alicujus in mortem sibi inferendam: siquidem directum dominium in vitam suam homo non habet.